

ADAMVS ARCHIEPISCOPVS MAGDEBURGENSIS.



ADAMUS ex illustri familia comitum de Bichlingen natus, & in omni genere literarum & uirtutum educatus fuit. In ijs cum plurimū profecisset, ab Imperatore Cameræ Imperialis Iudex constituitur, anno 1521. Itaq; Adamus arduam illam prouinciam suscepit, et per annos quindecim magna laude administravit. Nam ut suū cuiq; tribueretur curauit, et personarum respectum ignorauit. Cum talis esset, atq; præful Magdeburgensis obijsset, ipse omnium suffragijs in Archipræfulem eius Ecclesiæ electus fuit, quam functionem etiam magna dexteritate perfecit, & ab omnibus plurimū ob uirtutes dilectus fuit. Eo enim loco existens literis incubuit, & ut omnia hinc inde ritè peragerentur, summa diligentia instituit. donec tandem uita functus, honorificè apud suos sepultus fuerit. Anon.